

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput X. Qualiter homo cor suum ad deum elevet.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT X.

QUALITER HOMO COR SUUM AD DEUM ELEVET.

NOCTE quadam dum dormire non posset, dixit ad Dominum : « Eia, quam bonum, et quam aptum in hoc temporis silentio esset tecum fabulari. » Respondit Dominus : « Nunquam in tanta multitudine esse poteris, si toto corde ad me converteris, quin sola mecum sis. » Et ecce vidit quasi coronam in modum ciborii, de cœlo super lectum ejus descendentem, ita ut lectus ejus operiretur ex ea, facta ex albis et rubeis margaritis. Per rubeas margaritas significabatur sanguis Christi, qui ita ubertim effusus est, ac si nullius esset valoris. Per albas vero, innocentissima et sanctissima vitæ ejus conversatio. Dominus quoque in medio coronæ ad animam venit, dulcissimis amplexibus et ineffabilibus eam delicans verbis. Facies autem Domini sicut fulgur ignea ineffabili radiabat claritate : in quo illa intellexit quod animæ omnem pulchritudinem et decorem suum a vultu Domini contrahunt claritate.

Vidit etiam Cor ipsius apertum, et extentum in quantitate duarum palmarum, ut flamma ardens, non tamen ignis speciem prætendens ; sed color ille mirabilis et inedicibilis erat formæ. Et ait Dominus : « Sic volui ut omnium hominum corda in semetipsis igne charitatis arderent. » Verbi gratia, cum homo solus est, cor suum semper ad Deum elevet, dulciter ipsi colloquendo ac medullitus ipsum desirando, et intima suspiria emittendo ; ut ex jugi confabulatione Dei cor ejus amore divino inardescat. Si vero cum hominibus est, Deo tamen semper, prout potest, intendat ; de Deo cum ipsis libenter

Anima
ubique
cum Deo
sola.

Dominus
vult corda
omnium, ut
Cor suum,
ardere.

loquatur; sicque tam se quam alios accendit ad amorem. Item omnia quæ facit, propter Deum ad ejus laudem faciat; quidquid vero non licet, aut etiam non potest, similiter pro Dei amore libens dimittat. Omnia etiam quæ sibi adversa aut gravia sunt, pro Dei amore voluntarie suscipiens, supportet patienter.

CAPUT XI.

QUOD OPTIMUM EST GRATIA INFUSA FRUI.

Quæ tibi
infunditur
gratiam
sequere.

ITEM docuit eam Dominus dicens: « Cum aliquam gratiam tibi dederò, omnia prætermittens, te exoccupa, quatenus infusa gratia liberius et expeditius perfruaris; quia illa hora nihil melius aut utilius facere potes. Cum autem psalmos aut aliquam orationem quam Sancti in terris oraverunt legis, omnes Sancti pro te orant. Cum vero meditaris, vel mecum loqueris, omnes Sancti gaudentes me benedicunt. »

CAPUT XII.

DE TRIBUS DISPOSITIONIBUS CORDIS HUMANI.

ORANTE Christi ancilla, dixit ad Dominum: « O millies desiderate, utinam de ultimis terræ abyssis ad te gemere possem! » Cui Dominus respondit: « Et quid hoc ibi proficeret? ubicumque enim suspiriis tuis me tibi intrahis. Sicut ergo humanum cor absque aere vivere non potest,